98

tabernaculum meum hoc inutile, emeritum, exhaustum,
Nullius iam usus esse quod satis video. Igitur te oro
ut Deum nobiscum ores, ut te diutius servare velit
ad ministerium ecclesiae suae et in despectum Sathanae.
Vides iam, vides ipse, vita nostra, et quibus tum
personis tum donis opus sit ecclesiis suis.
Ex Wormatia tandem, cum quinque hebdomadas
expectassem literas, fere desperantes tandem acce-
pimus copiosas, quarum partem Georgius Rorer
ad te mittit. Omnia ex parte nostra aguntur
fortiter et sapienter, Contra ex illorum parte
pueriliter, stulte et inepte, crassis et insulsis
dolis et mendacijs, ut Sathanam ipsum videas
in corde regnare, tanta impatientia mille modis
quaerentis latebras, effugia et elusiones. Elusiones
tamen eorum infeliciter, sicut necesse est acci-
dere, ut qui contra veritatem apertam menda-
cium apertum tueri et ornare volunt, quod impos-
sibile est. Sed quid dubitamus? Gloria, virtus,
victoria, salus, honor debetur agno occiso et
resuscitato, et cum illo nobis quoque qui credimus
in occisum et resuscitatum. Hoc etiam non dubium.
Speramus brevi redituros nostros. Vale mi
Friderice, et Dominus non sinat me audire tuum
transitum me vivo. Te superstitem faciat mihi.
Hoc peto, hoc volo, et fiat voluntas mea.
Amen. Quia haec voluntas gloriam nominis Dei,
certe non meam voluptatem nec copiam quaerit.
Iterum vale. Dominica post Epiphaniam 1541

Tuus M. Lutherus